

1

DISSERTATIO IN AVGVRALIS MEDICA
DE
PERIPNEVMONIA NOTHA

QVAM
SVB AVSPICIIS SVMMI NVMINIS

ET
CONSENSV GRATIOSAE FACVLTATIS MEDICAE
P R A E S I D E

VIRO ILLVSTRI, EXCELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

D. ANDREA ELIA BÜCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,
POTENTISSIMO PRVSSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
IMPERIALIS ACADEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
ET COMITE PALAT. CAESAREO,

PRO GRADV DOCTORIS
SVMMISQUE IN MEDICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

AD D. XII. FEBRVAR. A. S. R. C¹⁰I¹⁰CCLVII.

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PVBICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES GOTTLIEB FRIDERICVS BEYER
ASCANIENSIS.



HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

DISSESTITATIO IN VACUARIA MEDICI

PERIPHEVOMONIA NOTA

674

SCALETICUS SUMMI NUMINIS

CONSILIA GRATIOSAS TACITATIS MEDICEE

PRAESIDE

ALIO ULTERIORI PRACTICIS ET EXPLANATIONIBUS

D. ANDREA ETIUS BACHNERO

SACRA TOMANA IMPERII NOTA
TOTIUSQ[UE] RAZAE REX A CONSULIS INTIMIS

MAGNIS ET ADOCECIONIBUS MATERIALE TOTEA TALEM ODISCIPLINAM

MINIMA AGENDA NATURAE CAVOSORI TRACTABE

ET CONVENIENTIA ET DEXSIMUS

PRO GRADU DOCTORIS

SCVLPISQ[UE] IN MEDICINA HONORAB[US] AC PRIVILEGIIS

DOCTORIALES RITE CONSEGVENTIS

AD ALIUM TITULARIS RITE ET DISCIPLINAR

IN ALIA REGIA LIBERICIANA

TRACTATIS DEDICANTIS

TRACTOR

JOANNIS GOTTLIEBIS LIBERICIANIS ASCENSIONIBUS.

LIBERICIANUS

HANAE LIBERICIANI. TITULARIS HENRICIENSIS

V I R O
PRAECLARAE DOCTRINAE ATQVE ERVDITIONIS AFFLVENTIA,
SVMMO VIRTVTVM SPLENDORE, EXCELLENTIBVS INGENII
DOTIBVS, COMPLVRVM AMPLISSIMORVM MVNERVM DIGNITATE
ET DIVINORVM ATQVE IMMORTALIVM IN PATRIAM MERITO-
RVM MVLTITVDINE LONGE SPECTATISSIMO,

ATQVE
INTER PRAECIPVA HVIVS SECVLI LVMINA
ET ORNAMENTA NVMERANDO,

ILLVSTRISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQVE INDVLGENTISSIMO

COMITI ET DOMINO
DN. GVSTAVO ADOLPHO
DE GOTTER

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS ET ELECTORIS BRAN-
DENBVRGICI SVPREMO AVLAE PRAEFECTO ET A CONSILIIS
STATVS AC BELL SANCTIORIBVS ADMINISTRO
LONGE MERITISSIMO,

COLLEGII AVLICI ET CAMERALIS ATQVE RERV M DOMA-
NIALIVM PRAESIDI ET DIRECTORI GRAVISSIMO,

SVPREMO OMNIVM REGIORVM CVRSVUM
PUBLICORVM CVRATORI AMPLISSIMO,
REGII PRVSSICI ORDINIS EQVESTRIS AQVILAE NIGRAE DICTI,
VT ET RVSSICI EQVESTRIS ORDINIS, ALEXANDRI NIEWSKII
APPELLATI, MEMBRO LONGE SPECTATISSIMO,

DYNASTAE ET HAEREDITARIO IN MOLSDORFF, CETERA,

MAECENATI, PATRONO ET DOMINO SVO
INDVLGENTISSIMO,

SVMMA ANIMI RELIGIONE ET MENTE DEVOTISSIMA
AETERNUM DEVENERANDO,
HASCE QVALESCVNQVE STUDIORVM SVORVM
PRIMITIAS ACADEMICAS
TESTIMONIO GRATISSIMA SVAE ET IMMORTALIS
MEMORIAE AC PRAEDICATIONIS

PRO
TOT, TANTIS,
TAMQVE PRAECLARISSIMIS ET AMPLISSIMIS,
EX IMMERITA AMORIS ET CLEMENTIAE ABUNDANTIA,
IN SE COLLATIS BENEFICIIS,
CVM ARDENTISSIMO ET MAXIME PIO VOTO
OMNIGENAE ET SEMPITERNAE PROSPERITATIS
ET CORPORIS INTEGRITATIS
SACRAS ESSE IVBET
SEQVE EIVS ULTERIORI CLEMENTIAE, CLIENTELAE
ET PATROCINIO PERMISSVM CVPIT
ET TRADITVM

ILLVSTRISSIMI ATQVE EXCELLENTISSIMI
EIVS NOMINIS

OBSERVANTISSIMVS ET DEVOTISSIMVS
CVLTOR ET CLIENS
AVCTOR.



S. I.



Quem hoc loco explicandum suscep-
tu-
ri sumus morbum, *Peripneumoniam*
notham recentiore demum aetate
in medentium scholis appellatum,
qui mortalium, natu iam grandium & in primis se-
nectutem ingressorum, vitae insidias subinde ten-
dere atque interitum afferre animadvertisit, ple-
risque, ne dicam omnibus, veteribus Medicis, mea
sententia nisi omnino ignoratus, certe tamen parum
perspectus fuisse & cognitus videtur: quia nihil
de eo quicquam in suis, quae etiamnum hodie ex-
stant, monumentis memoriae & litteris prodidere;
quin nec nominis quidem illius, quo nostra memo-
ria appellari consuevit, in suis scriptis uspiam me-
minere. Quanquam vero huius mali, pulmonibus
insidiantis, planis & perspicuis verbis nusquam men-

A. 2. tionem

tionem fecisse deprehenduntur: consentaneum tamen est, iisdem aliquam, quantumvis admodum mancam imperfetamque, huius morbi iam tum illis temporibus fuisse cognitionem, quem ideo in censum catarrorum detulisse, & pro catarrali quapiam affectione habuisse & venditasse videntur: quemadmodum id ex eorum libris clare ostendere, vix ullius negotii esset, dummodo mihi liceret vacaretque esse in his longo. Nonnulla enim, quamvis satis obscura minusque explanata, in eorum libris sparsim obvia deprehenduntur, unde probabili colligere ratione licet, priscam vetustatem huius morbi non adeo fuisse ignaram, ut fortasse existimari posset, sed eum duntaxat nullo discrimine a catarrhis separasse. AETIVM, qui Constantini principatu floruit, omnium unum heic adduxisse sufficiat, ut qui multa affert, quae in nullum alium, nisi in nostrum morbum convenient: haud enim indiserte dicit, a pituitosis cibis crudos & viscosos humores in corpore generari, qui aliquando in ipsum etiam pulmonem irruerent & falsam inflammationis imaginem minus expertis Medicis exhiberent a).

§. II.

Nec FERNELIVS, Medicus AETIO longe iunior, ab hoc multum ablusisse videtur, quippe qui, de vera peripnevmonia loquens, apertissime inuit, eam admodum raram esse. Paucis vero in-

a) Tetrabil. 2. Sermon. 4. Cap. ultim. p. 526.

terie&tis, pergit ita: *At vero tenuis & acris multaque defillatio e cerebro, confertim in pulmones illapsa, interdum ardore praeter naturam incenditur, aestum ac febrem inferens: ac plerique eam affectionem peripneumoniae nomine designant, in qua & tussi, & spirandi difficultate, & lenta febre sensim conficitur aeger, sine ulcere, sine expiitione cruenta.* Haec si peripneumonia dicetur, ab exquisita profecto plurimum tum causa, tum symptomatum magnitudine dissidet b). Quae qui exactiore examine penderit, is facile perspiciet, nec veterum aliquos tam obtusa & hebeti mentis acie esse censendos, quin quandam huius affectus, quamvis obscuram vel certe minus distinctam, iam sua aetate habuerint noticiam; quoniam vero germanam eius indolem non satis perspectam habebant, nulli dubitarunt eundem inter catarrhos declarare.

§. III.

Verum enim vero recentiorum quorundam infatigabili studio atque operae omnium maxime acceptum est ferendum, quod pernicialis hic morbus, superioribus temporibus magna obscuritate involutus, indidem demum in lucem est vocatus atque illustriore explicatione omnium oculis & mentibus subiectus: Quippe SYDENHAMVS, Vir expedita sua in medicina facienda dexteritate & peritia omnibus medentibus satis spectatus, nobis primus veram huius mali effigiem expressam de-

A 3

dit

D) Univers. Medicin. Pathol. Libr. V. Cap. X. p. 551.

dit c), quam postero tempore BOERHAAVIVS multo expressiorem exhibuit atque explicatiorem, ea adiiciendo, quae huic morbo planius ac plenius intelligendo plurimum lucis afferunt & a SYDENHAMO fuere praetermissa d). Et quoniam huic aegrotationi haud pauca symptomata cum vera seu exquisita peripnevmonia communia esse SYDENHAMO observata sunt, nullus dubitavit eam nothae Peripnevmoniae nomine insignire. Ne vero iis consestantis, quae vix ullum rei pertractandae utilitatis fructum praebent, & tempus, & operam frustra conferamus, expediet statim ipso operis aggrediendi limine ipsam Peripnevmoniae nothae *historiam* enarrare, quo eius ingenium clarius inde elucceat & quibus symptomatibus comitata se proferat.

§. IV.

Morbus igitur hic, qui hieme ineunte, crebrius vero frequentiusque ea exeunte & vere appetente vel iam nascente multoties exoriri solet, hominibus virilem aetatem iam praetergressis, inique primis omnium senectutem adeptis, qui habitoris & amplioris corporis & insuper temperatura frigida sunt & phlegmatica, atque ob id pituitosis afflictionibus, velut gravedini, coryzae, cetera, saepius obnoxii, satis frequens & solemnis esse cognoscitur, quippe quibus inopinantibus tam insidiose subinde, tam fallaciter, tam latenter leniterque obrepit,

c) *Prax. medic. experimental.* Secl. VI. Cap. IV. p. 340. & sqq.

d) *Aphor. de cognoscend. & curand. morb.* §. 867. & sqq.

repit, ut usu atque exercitatione medendi minus peritos identidem facile decipiatur: quia aegroti neque magna caloris vehementia, neque singulari quadam febris vi & impetu, nec aliorum symptomatum gravitate & acerbitate insigniore, in principio uruntur, ut quae cuncta initio saepe satis moderata leviaque iis accidunt; longe secus atque in peripneumonia vera, ubi huiusmodi mala multo asperiora & molestiora plerumque animadvertuntur, ut ideo non sit ullius alias, nisi in medica arte satis exercitati & versati, hunc morbum, tanta fallaci lenitate mortalium generi compluries principio insidiantem & obreptantem, prima statim facie ab aliis, quae pariter haud raro pulmonibus eveniunt, affectionibus probe accurateque discernere. Verum enim vero quum hoc malum anceps admodum & summe periculosum sit, aegroto subinde mortem intentans atque inferens, cui mature & in tempore occurrentum, ne in dies invalescat & aegrum iugulet, ac propterea plurimum intersit, ut Medicus veram eius *diagnosin* accurate teneat, illudque a ceteris, qui pulmonibus itidem haud insolenter usu veniunt, morbis recte internoscere valeat; ea a causis antecedentibus & procatareticis, velut ab aetate, temperamento, vietu, vitae genere aliisque praegressis morbis aegroti, ab anni temperatibus, coeli mutationibus aliisque huius generis est petenda, & cum praesentibus laefis corporis functionibus sedulo conferenda: ex iis enim similibusque inter se curatissime collatis, & coniunctim consi-

consideratis, haud difficulter omnino colligere atque efficere licebit, utrum aegrotans hoc morbo, an vero alio quodam sit tentatus.

§. V.

Ne vero a proposito nostro aberremus, commodum visum est, totam huius morbi *historiam* in arctum coactam, praeluentibus SYDENHAM & BOERHAAVIO, heic relataam tradere. Incipit igitur hic morbus, praevio quodam languore & levi fatigationis sensu, spirandi difficultate seu anhelitu, molesta anxietate & pectoris oppressione, nondum ulla conspicuo febris cuiusdam vestigio, vel certe, si qua forte iam praesto esset, admodum obscurō e). Tum succedunt vagae horripilationes & levioris febris insultus, qua aeger nunc incalescit, nunc rursus inalgescit f). Hisce multa alia mala sese socia adiungunt, cuiusmodi sunt vertigo a quolibet motu, vehemens & lancinans capitis dolor, inter tussiendum semper in maius augescens sive increbescens, ita ut aegri caput sibi medium doloris atrocitate disfracatum seu diruptum iri putent g), tussis, potulentorum reieccio per vomitum, nunc sine tussi, nunc cum illa coniuncta. Urina turbida est & intense rubet. Sanguis venae sectione detractus pleuriticorum cruxorem imitatur h). Malae & oculi

e) BOERHAAVE Libr. citat. §. 872. van SWIETEN Commentar. in eius Aphorism. in eund. §.

f) SYDENHAM Libr. & loc. citat. van SWIETEN ibid.

g) SYDENHAM eod. loco.

h) Idem eod. hoc loco.

oculi inardescunt ac rubore intenso suffunduntur *i*). Thorax omnis aegroto dolet, & pulmones sensim pedetentimque maiore muci seu pituitae vi ac mole inundati obruuntur, ut aeger non, nisi difficulter, spiritu animam in eosdem ducat, ita ut pulmonum quoque coarctatio adstantium auribus percipiatur, quoties ille tussit *k*). Anhelitus quoque & debilitas similiter in dies plus plusque ingravescunt, pulmonibus se satis dilatare summopere impeditis *l*). Viis ergo istis, quibus sanguis ex altero ad alterum cordis ventriculum fertur, ab aggesto in pulmonibus & praeter modum cumulato lento seu viscido muco hac ratione praeclusis, vitalium quoque liquidorum in orbem motui iter intercludatur pes fulsusque obdatur, necesse est. Intercepta igitur circulatione & sanguine quasi praeformato, aegrotanti necessario succumbendum est oneri & de vita dedendum; etiam si vix ulla, praesertim in habitibus atque obesis, febris appareant indicia *m*).

§. VI.

Ex adductis iam in medium phaenomenis, quibus notha haec peripneumonia se prodit & cognoscendam exhibet, unicuique nunc clare perspicere in proclivi erit, quare SYDENHAMVS hoc aegrotationis peripneumoniae nothae designare nomine nullus dubitaverit. Namque animadvertens,

B hunc

i) Idem eod. Libr. p. 733.

k) Idem ibidem.

l) Idem eod. loc. van SWIETEN loc. adduct.

m) SYDENHAM loc. allegat.

hunc morbum non in eadem solum corporis parte suam sibi sedem figere, in qua suam sibi vera seu exquisita peripneumonia collocare solet; sed compluribus quoque symptomatibus huic posteriori affectui proximum accedere: non est veritus eum *peripneumoniae* nomine ciere. At vero simul sentiens, idem morbi a vera peripneumonia dissidere multifariam & discrepare, voculam *nothae* adiecit, quo utraque haec diversae indolis mala, alterum ab altero, curatius sollicitiusque internosceret. Paulo enim post videbimus, peripneumoniam notham, quantumvis ipsi plurima cum exquisita seu vera peripneumonia intercedant communia, multis tamen quoque modis ab hac recedere & distare.

§. VII.

Perspecta itaque nostri morbi, quoad eius necesse fuerit, historia, id negotii mihi dari sentio, ut dilucide quoque & perspicue expediam, quid ei discriminis cum aliis aegrotationibus, itidem pulmoni interdum evenientibus & cladem inferentibus, velut cum *exquisita peripneumonia, asthmate, febre catarrhalis benigna & catarro suffocativo*, intercedat, quo clarius verum eius ingenium inde perspiciat & cognoscatur. Praemissam igitur a nobis *nothae peripneumoniae* historiam, e SYDENHAMO potissime expromptam, altius inspecturo haud sane erit arduum eam ab *exquisita seu vera facie disiungere, dummodo utriusque affectionis indolem & symptomata, curatius inter se collata, exqui-*

exquisito examine perpenderit: in vera enim peripneumonia sanguinis rubicundi globuli semper vasorum pulmonalium recessibus impaeti ibidemque fixi & immoti haerentes deprehenduntur, qui ita vitalium liquidorum libero accessui ac recessui viam & iter intercludendo atque obstruendo, pulmonibus veram inflammationem eandemque sanguineam, vel in uno duntaxat, vel in utroque lobo, ascendunt. In notha vero seu spuria pulmones magna pituitae crassae & lentae seu viscidæ inundantur & obruuntur colluvie, quae, sensim copia uberiore illic aggesta & cumulata, in angustiis arteriae pulmonalis stagnare incipit atque inhaerere, hocque pacto humoribus a tergo affluentibus qualcumque & quantamcumque moram iniicere atque impedimentum, quo minus tam expedita & profluente celeritate, quam sanitatis & vitae incolumenta atque integra conservatio expoposcerit, suum in orbem motum per pulmones expedire & confidere queant n). Qua ex re nec mirum est, malum hoc, si increbrescat & maiora in dies capiat incrementa, haud insolenter in pertinacissimam vasorum & meatuum pulmonalium transire obstructionem, morti saepius fores apperientem.

§. VIII.

Deinde etiam notha seu pituitosa peripneumonia eo dissidet ab exquisita seu inflammatoria,

B 2

quod

n) van SWIETEN libr. citat. Comment. in §. 868. Aphorism.
BOERHAAVIL.

quod cuncta, quae eam comitantur, mala, haud
quaquam tam subito, quam in vera peripneumonia
spectantur, invalescunt o): tum quoque hoc discri-
mine ab exquisita facile separatur, quod quae no-
thae peripneumoniae comes haeret febris, semper
multo sit levior mitiorque ea, quam vera peripneu-
monia sociam sibi & coniunctam habet, ut quae de-
terioris esse nothae observatur p). Postremo nec
illud silentio dissimulandum, quod in vera peripneu-
monia, si feliciter prospereque sit cessura, tertio ut-
plurimum die sputum cruentum compareat, cuius-
modi nihil quicquam, praeter tussim parum emoli-
entem, in spuria, seu notha, obvium est. Cetera,
quibus utraque haec pathemata, alterum ab altero,
dissent discordantque, consulto heic & dedita
opera tacitus praeteribo, ne in iis, quae unicuique,
ea inter se comparaturo & acri iudicio expensuro,
facile obvia sunt & perspicua, longior sim, quam
pro instituto necesse est.

§. IX.

Nec multi erit sudoris affectum hunc ab ea
spirandi difficultate discernere, quae itidem cum
stertore quodam aut sibilo tussique, modo parum
muci crassi excutiente, modo nihil eiusmodi reiici-
ente, est coniancta, *Asthmatis* nomine in Medicorum
scholis cieri solita. Quod malum pro causa-

o) Idem eodem loco.

p) BOERHAAVE *Aphor.* cit. §. 872. SYDENHAM loco adduct.
p. 343. & p. 733.

rum & symptomatum, quibus se profert, diversitate in *humidum*, *siccum* & *spasmodicum* seu *convulsivum* medico in foro digeri seu dividi afferet. Verum ut in pauca tantum conferam & compendii faciam, quae de dissidentibus inter se & discordantibus ipforum horum thoracis morborum ingeniis nobis fuse lateque dicenda essent, eos deinceps separate hoc loco prosequuturis, ostendendo, quemadmodum unusquisque eorum seorsum, alias ab alio specie distet ac diversus sit; deinde vero ratione quilibet a peripnevmonia notha singulariter differat: generatim duntaxat tenendum est, cuncta haec mala communi omnium *asthmatis* nomine complexa, primum bene longinqua esse seu chro-*ca* q), peripnevmoniam vero notham longe brevioris & citioris observari decursus, ideoque acutorum morborum numero esse habendam. Deinde nostrum morbum ex se ipso originem ducere, seu, ut medentes loqui amant, idiopathicum esse; quum econtrario asthma perraro huiusmodi, sed plerumque symptomaticum sit r). Tum peripnevmoniam notham semper cum febre quadam, nunc leviore, nunc vero graviore seu intensiore, esse consociatam, etiamsi, morbo hoc in maius augescente, arteriarum pulsus saepius vix ulla manifesta eius praefereat indicia s): asthma vero invicem, si forte

q) GOHLIVS Compend. Prax. clinic. Libr. VI. Cap. XII. §. 7.

r) IVNCKERVS Conspect. medicin. theoretico-practic: Tabul. XXXI. II. n. 4. GOHLIVS loc. cit. §. I.

s) SYDENHAM loc. allegat. p. 343. & p. 733.

forte etiam primigenium seu idiopathicum existet; a febre nunquam non immune esse t). Postremo in nostra pulmonum affectione signa quaedam inflammationis cuiuspiam, non quidem sanguineae, sed serosae vel, si mavis, pituitosae, sese prodere, quae in asthmate nunquam comparent u). Quae quum ita sint, cuique inde spectatissimum erit, quanta etiam peripnevmoniae pituitosae cum omnibus asthmatis speciebus intercedat differentia.

§. X.

Neque minus obvia discrepancia inter hanc peripnevmoniam & febrem catarrhalem benignam. Tametsi enim huic cum nostro affectu nonnulla videntur esse communia; cuiusmodi potissimum sunt, satis moderatus vel utique placidus eius insultus, aequinoctii temporibus omnium praecipue mortali bus eveniens, tussis, eaque fatis violenta, pectoris angustia, aliaque huius fortis mala, quae cuncta recensere nihil attinet nec vacat: multa tamen quoque deprehenduntur, quibus ea a nostra affectione dissidet ac disiuncta est. Etenim catarrhalis benigna, nulla aetatis ratione habita, tum iuniores atque adeo primo aetatis flore pubescentes, tum aetatem firmatam & virilem iam assescutos, tum senectutem ingressos, invadit: peripnevmoniae vero nothae non est ulla alia aetas opportuna, nisi confirmata.

^{t)} HOLLERIUS de morb. intern. Libr. I. Cap. 25. & in Schol. p. 102. SYDENHAM loc. & pag. adduct.

^{u)} Idem ibidem.

firmata vel ingravescens & in senium provecta. Illa aegrum corripit concutitque acerbo, non dicam frigore, sed horrore atque adeo rigore: haec contra eum vagis duntaxat horripilationibus lacescit. Catarrhali insuper febri semper catarrhus quidam, sive coryza, sive raucitas vel branchus, sive uvulae prolapsio, sive tonsillarum inflatio, se indi- vulsum comitem aggregat & praebet, quo peripneumonia notha incomitata & nunquam sociata animadvertisit. Illa quoque singulis diebus, vespascente coelo, aegrotis reddit suasque accessiones per totum febris decursum repetit; quorum omnia nostra corporis aegritudo expers est atque immuni- nis. Accedit & illud, quod dicta febris vix quic- quam periculi alat, sed plerumque, modo ne fini- stra quadam seu praepostera & perversa medicatio- ne interturbetur atque exasperetur, exitus sit ex- optatissimi: noster vero morbus longe maiori esse cognoscitur periculo &, nisi opportune ei salutari- bus remedii subveniat, persaepe dubii & anci- pitis eventus. Quae igitur qui exactius expende- rit, facile perspiciet, quantis a se intervallis utrique hi morbi sint disiuncti.

§. XI.

Tandem nobis vel illud discriminis restat con- siderandum, quod peripneumoniae est nothae cum catarrho suffocativo, ut qui fortasse multis videri posset arctiore quadam propinquitate esse cum pituitosa hac peripneumonia, quam priores morbi, coniun-

coniunctus: quia in eo similiter praefocans quae-
dam spirandi angit difficultas, cum sibilo quopiam
sive stertore, vel, si magis arriserit, sono quadam
bullientis & spumantis laticis consociata. At vero
vix quicquam negotii erit cognoscere, quomodo
hic morbus a nostro discepere, attenta mente agita-
turo, primum, quod catarrhus praefocans sit mor-
bus acutissimus, qui citissimam medelam exposcit,
alias spatio viginti quatuor horarum subinde ae-
grum praefocando interimit: id quod a nostra pe-
ripnevmonia maxime alienum est & remotum,
quippe quae in censum acutorum duntaxat, quo-
rum decursus haud quaquam tam brevi atque exi-
guo, sed multo longiori atque ampliori temporis
spatio terminatur, deduci solet: hinc quoque est,
cur ne quaquam primis sui initis & diebus tam ci-
to & repente, dummodo mature & tempestive ef-
ficax ei medicina adhibeatur, spiritum faucibus
praecludat, sed procedente demum tempore, in
dies ingravescens inque maius augescens, aegrum
rebus humanis eximat. Deinde quod ille inex-
spectato semper & repentina impetu homini in-
gruat x); haec vero fallaci lenitate eidem obre-
pat y): Tum quod solenniter atque usitate in illo
nulla tussis praesto sit, & si qua forte etiam adesset,
tamen ea usque adeo levis atque exigua esse de-
prehenditur, ut nihil quicquam muci ex imo du-
cere

x) IVNCKERV^S Libr. cit. Tabul. CXVIII. III. GOHLIV^S Libr.
allegar. Libr. VI. Cap. XIII. §. 4.

y) BOERHAAVE Libr. cit. §. 872.

cere pectori atque expellere valeat ^{z)}): in hac vero semper tussis satis vehemens & violenta, aegrum importunius fatigans, obvia est ^{a)}. Post in illo quoque morbo semper paralytici quid subest: quia tanta est aegroti impotentia instrumentorum spirandi ex voluntate movendorum, ut nihil istius muci, in pulmonibus congesti & uberiore copia cumulati, extussiendo reiicere valeat; cuius non est ulla alia ratio, nisi qualiscunque istorum nervorum resolutio, qui musculis mesopleuriis de movendi potentia prospiciunt: cuiusmodi vero peripneumonia notha plane exsors esse atque expers spectatur, utpote in qua aegrotus non tussim modo pro arbitratu suo concitare, sed satis etiam pituitae tussiendo excutere potest. Novissime nec illud silentio transeundum censeo, ad differentiam horum morborum magis declarandam, quod catarrho suffocativo affectis, statim principio huius mali, & animi & in primis corporis vires subito infringantur velutique concidant: id quod neutquam in peripneumonia notha contingit, ut in qua aegri erecti stare atque ingredi possunt; unde quoque est, cur SYDENHAMVS eis nunquam, nisi in lecto cubantibus, venam brachii permiserit secandam ^{b)}. Ex hisce itaque nunc in medium prolatis ipsa luce, puto, clarius cuivis apparebit, quanto discriminem nostra humani corporis aegritudo a ceteris, identidem

C pariter

^{z)} IVNCKERVS ibidem.

^{a)} SYDENHAMVS libr. & loc. adduct p. 340.

^{b)} Libr. citat pag. 341.

pariter pulmoni usū venientibus, disiuncta sit & separata. Ne igitur hisce differentiis, quae peripneumoniae huic cum aliis quoque pectoris morbis, velut pleuritide tum vera, tum spuria, intercedunt, pluribus, quam par aequumque est, moremunt, eas missas faciemus, maxime quum horum expedita sit & facilis ab hac pituitosa peripneumonia distinctio, progressuri ad cetera, quae nobis de hoc malo supervenient excurienda.

§. XII.

Iam mihi videtur exponendi de *causis* illis tempus dari, quae germanae huius mali effectrices esse & altrices cognoscuntur. *Causa* igitur antecedens interna huius afflictionis, in medentium schoolis alioquin etiam *praedispōnens*, seu προτύπων nunquamata, est exsuperantia pituitae lentae & viscidæ, seu glutinosæ, hiberno tempore in corporis latebris sensim pedetentimque variis & multiugis causis generatae, fatae atque aggestu cumulatae, quae ineunte utplurimum vere, a Solis revertentis calore, auctiore suo nexus & tenaciore cohaerentia quoquomodo exsoluta atque exagitata, vitalibus in orbem voluntis humoribus interfundi atque intermissioni incipit c), siccque in motum profluum abrepta ad pulmones deferri, ubi, (quum adhuc satis lenta sit & tenax seu glutinosa,) in vasis minoribus moram faciendo atque inhaerendo, hocque pacto angustias eorum utcunque intercipiendo, liberum atque expeditum vivi sanguinei per reliquos pervios pulmo-

c) van SWIETEN Libr. adduct. Comment. in §. 867.

pulmonum canales sanguineos impedit, & hac ratione peripneumoniae nothae viam sternit. At vero scire expedit, ad pituitosam peripneumoniam exquisitus intelligendam, veteres lentorem istum seu glutinosum laticem, qui in corporis humani recessibus interioribus generatur, non eadem censuisse forte, sed geminae eum esse indolis contendisse. Etenim alterum, qui velut usus & ultra modum in corporis succis quasi coctus videbatur, vocabant *phlegma*, ἀπὸ τῆς πέφλεχθαι, quod *ustum esse* denotat: alterum vero, qui albus & frigidus est, quique etiamnum Medicis omnibus *pituitae* nomine cieri sollet, βλέψαντες, id est, *mucum* appellavit PRODIGVS in *Opere de hominis natura d*). Prior latex erat phlegma illud calidum, *phlegma phlegmonodes* veteribus dictum, quod, nostra memoria, BOERHAAVIO eiusque Sectatoribus vocabulo significantiori satis belle & festive *diathesis* vel *visciditas inflammatoria* nominatur: posterior vero, qui lentus erat & frigidior, simpliciter *phlegma frigidum*, vel, verbo etiam nunc hodie satis usitato ac trito, *pituita* iisdem salutabatur e).

§. XIII.

Videas itaque vehementer hallucinari & offendere, qui omnem, quae in corpore provenit, pituitam seu mucum omnibus dotibus semper sui si-

C 2

milem

d) GALENV de natural. facult. Libr. II. Cap. 9. CHARTERIVS Tom. V. p. 50.

e) van SWIETEN Libr. citat. Tom. I. Commentar. in §. 69. & Tom. II. Comment. in §. 867. Aphor. BOERHAAVIIL.

milem esse sibi persuadent, vulgari experientia loquente, aliam esse eam, quae secundum naturam corporis partibus illinendis, lubricandis & defendendis inservit; aliam vero, quae in catarrhis corpore foras extruditur; aliam denique, quae in morbis inflammatoriis sanguini inest, quippe quae cum cruento ex venis dextra et huiusque superne obducta albi & tenacis corii speciem induit. Phlegma igitur, seu glutinosum illud, quod in febribus inflammatoriis obvium notatur, nunquam non calidum seu phlegmonodes censendum: quemadmodum contra, quod in catarrhalibus morbis aliquo, quorum vix ulla dispar est conditio, per sanguinem diffusum est, pro phlegmate frigido habendum. Est vero commemoratione omnium maxime dignum, ideoque animo probe infigendum, lentorem illum frigidum & mucosum se affusa calida aqua expedite facileque dilui ac dissolvi sinere; quod nequaquam procedit simile experimentum cum pituita calida seu inflammatoria adornaturo, ut quae ab affusa tepida vel calida indissolubilis relinquatur & immutabilis f). Ex quibus illa differentia, qua phlegma calidum a frigido distat, ita perspicua est, ut vel oculis iudicari possit. Haec proinde mihi ideo existimavi praestruenda esse, quo dilucidius inde appareret, quantopere phlegma illud seu glutinosum calidum a glutinoso frigido abhorreat; atque indidem clarius ostendere valerem, utra pituita, an calida,

*f) van SWIETEN Libr. commemor. Tom. II. Comment. in §.
867. & 868.*

lida, an frigida, huiusmodi peripnevmoniam hominibus accersat?

§. XIV.

Qui curatus perspexerit, & cognoverit, sanguini haud temere unquam alio paeto lentorem quendam inflammatorium accieri inducique posse, nisi vitali partium corporis robore in maius augescente ac nervosius contentiusque iusto in vitalia liquida suam vim exercente g), is facile deprehendet, glutinosam istam pituitam, quae sanguini in hac peripnevmonia affluentius, quam pro valetudinis integritate, interfusa haeret, haud quaquam calidam seu phlogisticam esse posse; quod hoc mali hominibus potissimum virilem aetatem iam praetergressis, & omnium maxime in senium provectis, ingruit, quorum corporis vires vel iam satis attritae, infraetae atque effoetae existunt, vel certe plurimum languescant, & deficere incipiunt; sed eam eiusdem propemodum indolis & naturae videri, cuius ista est pituita, quae in corpore secundum naturam generatur, & in eius recessibus recondita delitescit. Scire enim convenit, pituitam istam, quae lege naturae in corpore humano provenit, non omnino inutilem atque adeo perniciosa esse, experientia abunde docente, eam innumeris iisdemque maxime egregijs usibus, quos omnes heic deinceps exprimere & recensere, neque temporis exiguitas, neque propositi ratio ferunt, destinari atque im-

C 3

pendi.

g) Idem Libr. cit. Tom. I. Comment. in §. 69. num. 3. ut in
§. 97. 100.

pendi. Quamdiu quippe iusta & conveniente copia subnascitur; tamdiu quoque corporis partibus eximio usui est & emolumento: ut primum vero modum excesserit & copia eo usque increverit, ut eas inundando & obruendo opprimat, aut a sua natura desciscat atque alienam & peregrinam induat, utique statim corpori damnum infert ac detrimentum, ac tum demum inter causas venit morbosas declaranda. Quoniam itaque haec pituita in eiusmodi senibus, qui peripnevmoniae nothae opportuni sunt, abundantia affluit, & maiorem lentitiam seu tenacitatem undecunque & quoquomodo contraxit, nemini mirum videbitur, eam, vi & efficacitate verni caloris in motum concitatam, uberioris in pulmones meare, ibidemque meatuum angustias quomodo unque intercipere, atque hoc pacto peripnevmiam notham aegris conflare.

§. XV.

Stabilita igitur fixaque ea huius morbi causa, quam praedponentem nuncupare Medici consueverunt, quamque nullam aliam, nisi *cacochymiam pituitosam* esse diserte perhibui; operae pretium esse videtur vel istam, *proxima* quae dici solet, paucis duntaxat percurrere *causam*, quo inde clarius liqueat, qua via huiusmodi pituitosus & glutinosus latex, ubiore copia in pulmones derivatus & congestus, eis tantam spirandi & tussiendi molestiam difficultatemque afferre queat. Hiemali tempore, ubi omnia gelu rigent, frigoris saevientis acerbitate vitalia

vitalia liquida solenniter spissiora lentioraque reddi, atque in corpore coacervari, praecipue hominibus tunc temporis otio ac desidiae deditis, atque insuper ingluviei ac voracitati liberalius, quam par & aequum est, indulgentibus, vietū crassiori & duriori eoque largo utentibus, usque adeo vulgaris est & confessae veritatis, ut non facile quisquam hoc in dubium incertumque vocare fuerit autus, **HIPPONCRATE** iam id observante & perhibente: *hybernū tempus pituitosius esse aestivo, morbosque fieri circa caput & illam regionem, quae super septum transversum est b).* Idem vero illud quoque hominibus natu grandioribus, atque senectute prope modum confectis, multo potius esse eventurum, tanto minus dubitari poterit, quanto exploratius omnibus medentibus est, sanguineos corporis latices, prout mortales aetate accreverint & senectuti appropinquaverint, in dies fere sensim pedetentim que crassiores evadere ac lentiores, ita ut saepius sit mirum, unde tantus senilibus praesertim corporibus exoriatur lentae ac glutinosae pituitae provenitus. Hinc quoque est, cur senes semper sint pituitosi, frigidi & pree aliis catarrhorum tentationibus expositi, teste **FERNELIO**, *sed si quis his, (scilicet senibus) inquiete, superfluit noxius humor, is maxime pituitosus est: unde & senes a supervacuorum redundantia pituitosos esse omnes confirmant i).*

Lentes-

b) *de salubri victus ratione* Text. 15. CHARTERVS Tom. VI.
pag. 228.

i) Libr. cit. L.III. *de part. corp. human. descript.* Cap. XI p. 139.

Lentescenti vero sanguini non in ullis aliis corporis partibus plus morae atque impedimenti iniicitur, praeterquam in cerebro & pulmonibus, ut quae, omnium fere minimis & subtilissimis vasculis sanguiferis locupletata, Anatomes peritis observantur. Hinc quoque est, cur hae corporis partes, inque primis pulmones, sanguinis praeter modum lentescentis indicia, suis functionibus laesis, omnium fere primi patefaciant k).

§. XVI.

Quum itaque, adventante iamque exorto vere, viscida ista pituita, brumali tempore in corporis latebris aggesta & cumulata, superveniente Solis calore quomodo cuncte solvit, sanguini permisceatur, cumque eo in motum agitatur paulo citatorem, pulmones omnium primi ab ea detrimentum accipient, necesse est; quia tenerimis vasculis instruti sunt, quorum angustias sanguis, tanta glutinosae pituitae vi ac mole aggravatus, non tam expedite, quam necesse est, percurrere valet; maxime quum vitalia liquida, ex constanti naturae lege, per pulmones longe ferantur citatiora, quam per ullam aliam quandam corporis humani partem. BOERHAAVIVS enim demonstratum dedit, quod *omnis totius corporis humani, quo tempore, distributus per omnes partes, semel circuitum absolvit per cunctas, eo tempore totus semel transeat per solos pulmones;* ideoque & *humor omnis vitalis totus quantum*

k) van SWIETEN l. c. Tom. II. Comment. in §. 867.

tus pulmones transeat, dum per alia viscera tantum certa portio transfluit *l).* Quocum etiam HALES concinuisse videtur, ut qui rationem celeritatis, qua sanguis per pulmones volvitur, iniens, computando invenit, eum ter & quadragies celerius per alveos pulmonum sanguineos, quam per arteriam aortam moveri *m).* Quae qui animo haud occoecato exquisitus expenderit, simulque ad minutissimos illos vasorum ramulos, qui, retis in formam, alias alii, implicati, rete illud vasculosum Malpighii confingunt, singulis quibusque pulmonum vesiculis extrinsecus circumtextum, is sane absque ullo perspicet negotio, quid causae sit, cur pulmoni plerumque primus mali impetus sit sustinendus, corporis succis vel abundantia affluentibus & ditescere coepitis, vel viscidae pituitae faburra praeter modum refertis atque onustis.

§. XVII.

Quum igitur sanguis, tanta muci tenacis & viscidie colluvie commixtus, pulmonum vasa subierit, & ad eorum minores & amplitudine seu capacitatem sensim decrescentes affluxerit & illapsus fuerit ramulos, ille ibi in medio suo cursu deficiat & moraneat, oportet: quia glutinosum istud, sanguini interspersum, in his arteriae pulmonariae surculis, omniumque praecipue istis, qui, florente sanitate, serum & lympham duntaxat recipiunt vehuntque,

D obhae-

l) Institut. medicin. §. 208.

m) Haemastatic, Experient. X. n. II.

obhaerere incipit & hoc modo vitalibus fluidis, a tergo perenni motu huc advolutis, moram interponere atque impedimentum, quo minus iter suum per pulmones tam cito, prompte expediteque, quam corporis integratit & sanitati conservandae necessarium est, facere & confidere queant. Hinc non potest aliter fieri, quam ut huic lensori, in meatuum angustiis obhaerenti atque ex iis se expedire nescio, in dies maior glutinosae pituitae, alias post aliud, cumulus denuo accedat, quae eo pacto sensim plus plusque in pulmonum arteriis congestu coacervata & in maius adaucta, nisi opportune hisce malis auxilio occurratur, pulmonem nimia sui copia obruit atque ita infarcit, ut tandem, quamplurimis arteriae pulmonariae ramis oppilatis, sanguini, ex altero ad alterum cordis ventriculum transeunti, omnes viæ rescidantur, atque ita improvisae multoties mortificores patefiant. Videas igitur, *proxinam* huius valitudinis adversae effectricem *causam* esse glutinosae cuiusdam & tenacis pituitae in pulmonalis arteriae ramis, omnium potissime iis, qui fero & lymphae continenda & transmittenda interficiunt, stagnationem incipientem, a perfecta eius statu seu quiete adhuc multum dissidentem, sed tamen ex ea in hanc identidem mutari facilem & pronam, quae, liberum atque expeditum sanguinis per pulmones circuitum impediendo, efficit, ut sanguis, pituitosa faburra assatim onustus hucque delatus, in hoc viscere ultra modum accumuletur atque exaggeretur.

§. XVIII.

§. XVIII.

Cognita ergo proxima huius calamitatis causa, ex usu esse videtur vel illos perlustrare fontes, ex quibus eiusmodi copia ac lentitia pituitae in hummanum corpus permanare solet. Tanto autem breviores in iis esse enumerandis poterimus, quanto latius iam alii easdem sunt prosecuti, ne hoc loco molem rerum anteaetarum aggerere velle videatur. In harum proinde causarum, *procatarcticas* seu *occasionales* quas scholae medicae appellant, censum cuncta veniunt *alimenta*, tum *esculenta*, tum potulenta commemoranda, quae suo ingenio *viscida* sunt & *glutinosa*, suumque antiquum obtinent, quantumvis ventriculi vi & actione pertrita, inque chylum redacta; cuiusmodi sunt omnia farinosa, vel nihil admodum, vel certe parum aut non satis fermentata, atque adeo cruda, maxime si quis se iis largius aequo & copiosius ingurgitaverit. Etenim farina omnis si cum aqua subigitur, in gluten quoddam lentum, tenax & ductile abit, variis rebus conglutinandis aptissimum, quemadmodum id vulgari experientia cuivis satis notum. Quodsi vero eadem haec massa farinacea fermentando fuerit reclusa & compedibus suis exsoluta, glutinosam suam non modo ac tenacem exuit naturam, seque praebet aquae maxime sociabilem ac facile commiscibilem; sed corporis viribus etiam facile vincibilem ac domabilem. Eadem fere etiam forte censenda sunt cuncta *legumina*, velut pisa, fabae, lentes, oryza, phaseoli, aliaque huius generis, ut quae itidem multum

D 2

multum glutinosi complexu suo coērcent & continent, ideoque iusto largius in dies comesta, desidiae ac pigritiae praesertim deditis, viscidos sensim glutinososque humores ingenerant.

§. XIX.

Praeter haec esculenta, ex regno vegetabili deprompta, ea quoque huc veniunt referenda, quae ex animali regno mortalibus esui sunt, velut *carnes vervecinae* inque primis *porcinae* seu *suillae*, aliaeque id genus, ut quae suo ingenio glutinosae esse atque insalubres deprehenduntur: quae igitur, uberiore copia, quam pro corporis incolumitate, devoratae & ventriculo, cui vires digerendi iam attritae sunt & fractae, cuiusmodi senum esse solet, commissae seu traditae, non satis subigi inque laudabilem chylum mutari possunt; unde suam naturam, qua ante, quam capiebantur, extra corpus usae sunt, sequuntur, inque viscidum chymum abundant, qui in sanguinem delatus, glutinis in massa sanguinea proventui viam patefacit. Idem quoque pretium, quod carni suillae fecimus, *piscibus* fere universis est statuendum, ut qui similiter concoctione, potissimum in iis, quorum vigor virium fatiscit, aut senio propemodum extinctus est, in mucosum quoddam & lentescens liquamen convertitur, humoribus glutinosis in sanguine progignendis aptissimum. Quod vero nunc de esculentis perhibitum est, illud quoque de *potulentis* valet, quippe quae, si *nimiris crassa* existunt nec bene ferment-

mentata, ideoque magna adhuc glutinis copia sca-
tent, liberalius largiusque hausta, pariter lentitiam
ac tenacitatem haud sane exiguum humanis fluidis
inducunt. Eiusdem quoque censū effē animad-
vertuntur *spiritus* isti *ardentes*, qui compluribus ita
in deliciis sunt, ut inexhaustam suam eorum avidi-
tatem iis vix explere & satiare queant, maximo li-
cet sanitatis suae dispendio. Quanta enim quam-
que plurima damna & noxae ab eorum abusu mor-
talibus quam frequentissime proveniant, non facile
cuiquam clarius perspicere integrum est, praeter-
quam illi, qui observando notaverit, quam expedi-
te vitalia liquida cogant inque spissamentum quod-
dam, vix ulla arte denuo solubile, redigant. Nihil
itaque dubii est, quin ii omnium potissimum, quibus
virium vigor elanguescit, aut aetas ferme exacta
est, si hisce inebriantibus liquoribus iusto & aequo
largius se ingurgitent, humoribus suis paulatim in-
fignem arcescant lentitiam, peripneumoniae nothae
pulmonibus conflandae opportunissimam n).

§. XX.

In numero etiam causarum, quae mucosae &
viscidæ pituitæ proventui præ ceteris favent & ve-
lificant, ipsa *vasorum* & *viscerum* *debilitas* merito
venit referenda o). Vix enim credibile dictu est,
quantum momenti iustum ac legitimum corporis
D 3 partium

n) SYDENHAM Libr. citat. Sect. VI. Cap. V.

o) FOERHAAVE Libr. citat. §. 69. & van SWIETEN Comment.
in eund. hunc §.

partium solidarum robur vitale habeat non ad crudia solum alimenta in ventriculo exterenda, subi-
genda inque optimae notae chylum mutanda; sed
ad hunc ipsum quoque in vitales optima temperie
& constitutione succos redigendum & converten-
dum. Ubi vero illae, vel fene*cute*, vel alia qua-
dam corporis labe iam viribus deficere coeperint,
aut reapse nunc debilitatae iisdem fuerint & fra*ctae*,
ita ut in sanguineos latices lentius agant ac remis-
fius, quam pro sanitate; hos sensim sensimque len-
tescere & glutinosam induere indolem, pulmoni-
bus inundandis infaciendisque maxime habilem &
aptam, necessè est: sicuti contra a vitali earundem
robore, in maius augescente ac nervosius in cor-
poris fluida agente, his iisdem calidus lento*r* seu
diathesis inflammatoria conciliari deprehenditur p).
Et quum ipsa etiam ciborum digerendorum instru-
menta, in hoc aetatis flexu, viribus iam admodum
attritis sint & attenuatis, nec mirum est, alimenta
fere universa, quibus vescuntur, non pro eo, ut vi-
tae & sanitatis integrati conuenit, subigi inque
probæ notae chylum immutari; sed potius suam se-
qui naturam, inque crassamentum quoddam gluti-
nosum abire.

§. XXI.

Praeter ha*c*tenuis enumeratas effe*c*trices hu-
ijs mali causas, nec imminutus animalis corporis
motus est praetermittendus, ut qui itidem in causa
est,

p) van SWIETEN Libr. cit. Tom. I. Comment. in §. 69. Aphor.

est, cur corporis fluida haud insolenter lentam seu glutinosam contrahant spissitudinem. Experientiae enim fide constat, sanguinem secundum naturam lentissime per venarum alveos revolvi, utpote admodum languida atque exigua, si forte ulla, se contrahendi potentia seu systatica vi instructos. Ut igitur eius per venas regresus promoveatur & sanitati convenienter acceleretur, voluntarius corporis motus quomodounque moderate est augendus: quippe quo complures musculi motu cidentur & agitantur, qui modo contracti, modo relaxati, sanguinis per venas redditum accelerant, & hoc patet eius circuitum expeditiorem reddunt ac promptiorem, eoque ipso impediunt, quo minus liquida vitalia facile spissescant lentescantque, dummodo voluntaria haec corporis agitatio modum non excesserit. Quodsi vero nihil moderati habuerit ac vehementior fuerit, quam pro valetudinis ratione, corporis succi contra indidem lentitiam inflammatoriam contracturi sunt, quemadmodum id uberior ostendere expeditissimum foret, si usus esset mihi que vacaret.

§. XXII.

De frigoris corpus ambientis vi atque efficacia, quam in humani corporis partes, tum solidas, tum fluidas, expromit, nihil fere hoc loco dicere attinet, quum non facile quisquam physicae doctrinae tam inscius futurus ac rudis erit, quin eius effectus, quos in animantium corpora exerceat, spectatos habeat & cognitos, quomodo nimirum sanguine-

guineos succos cogat & ad crassitudinem redigat; partes vero solidas constringat earumque vasa coarctet. Non proinde dubium est, quin eius sit pars in sanguineos serum succos saevitia atque efficacitas; qui ita pedetentim spissiores & glutinosiores redditi, exorta verna tempestate, quasi regelantur, in vasorum alveis exagitantur atque in pulmones congeruntur. Hinc illae lacrymae.

§. XXIII.

Ecce! igitur heic praecipuas istas & potiores procatarracticas causas, brevius expeditas, scopo tamen nostro satis commemoratas, quae pituitae lentae & glutinosae, sanguineis liquidis ingerendae, interficiunt, quarum longe maiorem vim & copiam recensere expeditissimum esset, nisi brevitatis ratio nobis esset habenda. Possem enim vix ullo negotio omnium oculis velut spectandum subiicere, quam ob causam pituitosum seu phlegmaticum temperamentum & aetas effoeta atque ingravescens, prae ceteris, glutinis proventui paterent & opportuna forent, ni metuendum, ne Dissertatio haec nobis longius excurreret, quam propositum est. Reliquum itaque est, ut illas quoque paucis percurramus causas, quae mucosam & viscidam hanc faburram, vitalibus liquidis haec tenus satis aequaliter interfusam, indidem sensim plus iusto & aequo pulmonibus inferre & magno cumulo augere valent. Quemadmodum enim nihil sine radice nasci potest: sic quoque nihil potest fieri sine causa; hinc necesse est,

est, ut in hoc etiam morbo eiusmodi accedant cau-
sae, quae efficiunt, ut lenta ista & tenax pituita ma-
iore viac mole pulmones inundet & obruat.

§. XXIV.

Huius vero census esse omnia notantur, quae
sanguinis per corporis vasa circuitum reddunt cita-
tiorem, quam pro commodo & satis expedito, per
copiosas pulmonalium vasorum propagines, meatu
seu transitu; & ipsis pulmonibus tantam inferre
vim valent, ut liquidis, eosdem illapsis & transitu-
ris, remoram iniiciant atque impedimentum. Hu-
iusmodi sunt multae & crebrae sermocinationes, im-
moderati & nimii clamores, vociferationes, cantiones,
aliaque huius generis, quibus ipsi pulmones ultra
modum quatuntur & graviter afficiuntur, sanguini-
nis vero per eos motus orbicus nimium acceleratur.
Quoniam vero viscidus sanguini interspersus lento-
tam exiguis & minutis, quam pulmonum sunt, va-
sorum ramulis tanta celeritate transeundis omnino
inhabilis existit ineptusque, moram in iis faciat at-
que inhaerere incipiat, oportet. Quum igitur hac
ratione reliquo huc affluent mucoso latice viae non
satis perviae seu permeabiles occurrant, non est mi-
rum, eum hoc modo in pulmonibus praeter natu-
ram sensim coacefvari & magno cumulo augeri.
Eiusdem quoque efficacitatis est *risis solutus*, si ni-
hil moderati habet saepiusque tantus est, ut vehe-
menti totus thorax cachinno concutiatur velutique
spiritus faucibus preecludatur, quippe quo sanguini-
nis fluidis pariter viae per pulmones rescindi que-
unt. Hinc quoque historiarum & observationum

E

medi-

medicarum monumenta loquuntur, homines aliquando huiusmodi immodico atque effusissimo risu fuisse emortuos.

§. XXV.

Quantum quoque *potiones inebriantes* omnes ad istiusmodi pituitae viscidiae inundationem pulmonibus concitandam valeant, non facile quemquam fugere potest, vulgari experientia edoctum, viralia liquida ab iis ad celerrimos semper incitari motus, atque aestu vehementi inardescere. Quum autem sanguini, si per vasa incitati fertur, in pulmonibus viae satis expeditae & commeabiles non pateant, pituitosa ista colluvies, quam secum eodem abripuit, in meatus recessibus obhaerendo stagnabit, atque hoc pacto hisce partibus peripneumoniam notham conflabit. Eadem quoque aestimatione omnes *cibi, calidis aromatibus praesertim largius conditi & apparati*, velut pipere, zingibere, caryophyllis, nuce moschata, macere, cetera, censendi sunt, ut qui similiter sanguini maiorem conciliant velocitatem & impensiorem accendent calorem; unde idem mali pulmonibus exoriri potest.

§. XXVI.

His quoque causis qualiscunque nimius calor seu aestus, undecunque corporis humoribus, sive a Sole, sive a balneo, sive ab igne, sive aliunde, incensus, venit annumerandus, ut qui pari modo sanguinem motu intestino ciendo, rarefaciendo, expandendo, in motum profluum agitat velociorem. Qui proinde viscidii & tenacis muci redundantia onustus, & iusto atque aequo citatior ad pulmones delatus,

in

in eorum meatibus angustioribus easdem, quas modo ante significavi, difficultates offendet superandas; unde multoties idem morbi in primis sensibus provenire solet. Ipsas quoque *corporis immodicas exercitationes & labores*, eundo nimium, ambulando, cursitando, saltando, portando, gravia onera in altum tollendo, cetera, peractos, eiusdem huius mali fontem quoque & caput esse, observationum fide compertum est, ut quibus cunctis similiter sanguinea fluida nimium exagitantur & ad citatiorem in venis cursum impelluntur. Tandem in hunc causarum numerum ipsas quoque *immoderatores animi commotiones & affectiones* puto mihi esse aggregandas, quippe quae itidem aequalem humorum per vasa circuitum interturbando vehementerque commovendo, praeter naturam accelerant, hocque pacto peripneumoniae nothae faces subiiciunt. Sed de causis occasionalibus haec tenus.

§. XXVII.

Tempus, ordo & propositum nunc postulare videntur, ut, quam brevissime poterit, etiam ostendamus, qua via huic morbo in tempore occurrentum & auxilio sit veniendum, vel certe impediendum, ne in deterius ingravescat atque adeo aegrum e medio tollat. Cunctae igitur indicationes Medico, peripneumoniam notham curratam ituro, tenendae atque exsequendae, eo potissimum redeunt, ut *primum* glutinosam istam colluviem, in arteriae pulmonariae angustiis haerentem, aut obhaerere incipientem, quantocuyus iis expeditat &, quoad eius fieri potest, per vasa meabilem reddat; *deinde* ut humorum ad pulmones accessum atque illapsum frequentiorem ab

E 2

iis

iis avertat & arceat; *postremo*, ut, his peractis, debilitato pulmoni iustum suum robur restituat & caveat, ne idem mali hoc morbo defunctis renascatur. Ad binas priores indicationes expediendas SYDENHAMVS omnium primum sanguinem aegroto praecipit mittendum *q*), cui etiam BOERHAAVIVS adstipulatur, itidem eum ex largo vulnere statim detrahendum suadens, simul atque ex aegrotantis anhelatione & oppressionis in pectore sensu certo constiterit, pulmonem infarciri *q*): quia hac ratione moles liquidi, per pulmonum vasa provolvendi, immunitur, affluxus eius de pulmone revellitur, febris vis, quae lentae in vasorum meatibus haerentis pituitae stagnationem saepius vehementer auget, multum frangitur seu debilitatur, & ipsis hauriendis largius porulentis aquofis ac medicamentis plus spatiis, in vasorum alveis, & copiae, pituitae lentitiam expeditius promptiusque diluendi & attenuandi, datur *r*).

§. XXVIII.

Quamquam vero dissimulari nequit, complures homines etiamnum, in hoc aetatis flexu, haud insolenter sati vehementi & acri ciborum appetentia uti, ideoque iisdem largius se & copiosius, quam pro corporis sui indigentia, ingerere, & ita nimiam sanguinis copiam in suis vasibus subinde cumulare: tamen in sanguinis missione celebranda cautos & providos esse oportet, ne aegrotus indidem plus damni & magnam virium suarum faciat iatram. Hinc semper ad sanguinis exsuperantium, temperamentum, senectutem, vel demum adventantem, vel iam

p) Libr. & Cap. adduct. p. 341. & seq.

q) Aphor. citat. §. 873. van SWIETEN Libr. & loc. allegat.

r) van SWIETEN Libr. cit. Comment. in § 873.

iam urgentem, & ad alia, quae hoc morbo confliuantem circumstant, probe exigenda est. SYDENHAMVS quoque iam observando notavit, venaesfectiones, in hoc malo aliquoties repetitas, iis febricitantium, qui crassiore fuissent corporis habitu & aeratis florem iam praetergressi, (cuiuscemodi generis sunt, qui huic morbo in primis opportuni atque obnoxii deprehenduntur,) pessime cessisse *s*). Quid? quod quum a sanguinis insigni detractione virium detrimentum aegroto metuebat, nunquam ei sanguinem erecto permisit mittendum, sed semper eum e brachio iacentis detrahendum iussit *t*). Relinquimus igitur sanguinis missione itidem hoc in morbo locum, uberiore sanguinis copia in corpore obvia, & pectoris oppressione usque adeo invalescente, ut suffocationis periculum denunciet, eam exigentibus & postulantibus, dummodo earum, quas paulo ante dixi, circumstantiarum ratio semper habeatur: quia vasis hoc pacto depletis, & ipsis pulmonibus consequenter etiam sanguinis onere aliquantum levatis, glutinoso isti, in vasorum pulmonalium angustiis haerenti, plus temporis & spatii conceditur se iis expediendi viamque suam ad cor sinistrum pergendi.

§. XXIX.

Sanguine igitur, quoad quidem eius copia & suffocandi periculum expoposcerint, detraeto, Medico nihil prius, nihil antiquius esse debet, quam ut alvum convenientibus solvat remediis atque exinaniat. SYDEMAMVS, altero a sanguinis missione die, statim potionem clementer & blande alvum ducentem aegro mane sumendam propinat *u*): BOERHAAVIVS autem post venaesfectionem illoco clysmata quoddam suaderi iniiciendum, ut alvus

E 3

eluatur;*s*) Ibidem p. 341.*t*) Eod. loc.*u*) Ibidem p. 342.

eluantur; intestinis enim hoc modo a fecibus repurgatis & laxatis, non sanguinis modo impetus in pulmones retenditur, sed venuiae quoque bibulae, quibus intestinorum volumina intus scatent, aperiuntur, ita ut cetera emata, postmodum ventri iniicienda, & saponacea atque illud glutinosum in sanguine solvente virtute imbuta, expeditius resorbere & massae sanguineae inferre valeant. Quocirca expedit eiusmodi clysteres ex herbis emollientibus, velut malvae, parietariae, brancae ursinac, mercurialis, floribus chamomillae, verbasci, meliloti, melle, vitello ovi, nitro, cetera, concinnatos, quotidie intestinis infundere, donec spiritus liberius meare, & aeger meliuscule se habere coeperit, quo intellecto, clysmatibus abstinentium est, ne nimium aegrotantis corpus debilitetur. SYDENHAMVS quidem blandum purgans antiphlogisticum alternis diebus commendat sumendum; sed quum pleraque, ne dicam omnia purgantia intestina irritando, sicque liquidissima sanguini subducendo agant, qui tamen per se in peripnevmonia notha satis est crassus & latus, eorum usum potius interdicendum existimo.

§. XXX.

Quod ad febrem, huic morbo semper fere comitem haerentem, attinet, ea ut neutquam exacerbanda & calidis medicamentis aut simili regimine exasperanda est, ita nec immodicis & nimiis sanguinis missionibus vel refrigerantibus, atque adeo narcoticis aliquique huius generis remediis eandem suppressare & profligare convenit; sed duntaxat moderari, sicque cohibere, ne in manus augescat atque ex sanabili morbo in insanabilem ingravescat. Cui scopo usui esse possunt blanda diapnoica seu diaforetica fixa, ex antimonio diaphoretico, nitro, oculis cancro.

cancrorum, succino albo, matre perlarum, conchis aliisque id genus vel per se praeparatis, vel cum acido citri saturatis, concinnata, quae, prout aegrotanti fuerit collibitum, vel pulverulenta forma praescribi ac preeberi, vel in portiones medicatas redacta, propinari possunt. Nec quicquam dubii est, quin etiam sic dictae emulsiones, ex seminibus cardui benedicti, card. Mariae, cetera, beneficio aquarum destillatarum, quae analeptica & diapnoica polent virtute, elicite, itidem hisce aegrotis fint profuturae.

§. XXXI.

Tertia indicatio, Medico praescribens, ut ipsum istud glutinosum, cum massa sanguinea per corporis vasâ obrans, solvat atque extenuet, haudquaquam tam cito facileque expediri potest, quam forte videri posset. Quocirca Medico in peripneumonia hac curanda toto animo & studio omnium primum & potissimum in id incumbendum est, ut binis prioribus indicationibus, quam celerrime potest, satisfaciat, pituitam nimirum viscidam, in pulmonum vasis haerentem aut obhaerere incipientem, suis comedibus exsolvendo & in prostrum motum redigendo; simul vero copiosorem eius ad pulmones accessum impediendo & avertendo. Id quod si usque eo effecerit, ut aegrotus notabile quoddam spirandi levamen nunc persentiscat & meliusculus esse incipiat; tum demum quoque medenti de attenuanda & dissolvenda reliqua lenta & glutinosa pituita, per totam sanguinis massam diffusa, cogitandum est. Cuius quum non tam expedita & prompta sit extenuatio ac resolutio, quam quis forte opinari posset; longiori quoque tempore indiger ad sui attenuationem. Verum ut ad ea redeam, quae glutinoso isti lenitori, qui in pulmonum vasis stagnat, dissolvendo atque indidem

didem emovendo, magno usui sunt, conveniet quoque in hunc morbum implicitis tenuissimi & saluberrimi vi-
etis rationem praescribere, iis omnium eorum usum in-
terdicendo, quae uberiori glutinis in sanguine proventui
savent & pabulum suppeditant; cuiusmodi ea sunt, quae
supra iam de variis esculentis & potulentis, lentam & glu-
tinosam indolem sanguini inducere aptis, uberius & fusiis
relata leguntur, quae proinde heic repetere nihil attinet.

§. XXXII.

SYDENHAMVS hisce aegris carnibus animalium, vel
aliis indidem coquendo elicitis & concinnatis cibis plane
interdicit x): BOERHAAVIVS vero iura carnium, sed ea
tenuissima vel certe satis diluta, iisdem permittit sorben-
da y), quae tamen levi quodam adiecto acido, velut citri
vel aurantiorum, apparata vult, ne in putredinem, cui alio-
quin carnes animantium omnes obnoxiae sunt, abeant.
Verum enim vero si quicquam est, quod ad hunc mor-
bum facilius depellendum plurimum conferat: certe sufficiens
esse tenuissimorum potulentorum usus videtur, ut
quae spissos humores mire diluunt, fluidioresque redundant,
atque insuper glutinosum illud, iisdem internatum, sol-
vunt. Ex supra enim traditis iam perspicuum est constat-
que, lentam illam pituitam, quae hac in peripnevmonia
sanguini interfusa haeret, huiusmodi esse, ut affusa aqua
haud difficulter se solvi patiatur; longe secus atque istud
phlegma calidum, in morbis inflammatoriis duntaxat ob-
vium, & omne aquae consortium plane renuens. Id quod
etiam SYDENHAMVS iam olfecisse videtur, quippe qui hu-
ijsmodi aegrotantibus ptisanas, ex hordeo & liquiritiae
radice paratas, vel etiam cerevisias satis dilutas ac tenues
obtulit

x) Libr. & Cap. memorat. p. 342.

y) Aphor. §. 873.

obtulit potandas. BOERHAAVIUS vero, etiam si pariter potulentorum tenuium usui omnino magnum statuit pretium: huiuscemodi tamen decocta ex hordeo, avena, cetera, concinnata, aegris pro potu ordinario bibenda praebeti noluit; quia his decoctis farinosus quidam lensor inesset, qui novum quippiam formentum & materiam humoribus, nunc per se satis spissis, adiiceret. Praefert itaque his ptisanis potum quendam ex sola aqua & melle; quod hoc virtute sua saponacea omnem lentorem facile dividit inque stupendae exiguitatis minutias discerpit, accedenti aquae expeditissime solubiles 2). Videas igitur quantae sit utilitatis largus & copiosus potuum tenuium & aquorum hoc in malo usus, dummodo non frigide, nec calide, sed daintaxat tepide, neque ingentibus continuis haustibus, sed mediocribus tantum, sensim sensimque bibantur: iis quippe crassi nec circumagendo satis apti corporis latices diluuntur, fluidiores redduntur & frigidae puitiae lentitia velut minutissime diffunditur atque extenuatur, maxime si cum eis commiscentur, quae saponaceae virtutis sunt.

§. XXXIII.

Vapores quoque calidi ac humidi, spiritu per nares ac fauces in pulmones crebrius ducti, insignis itidem in hac corporis affectione emolumenti esse BOERHAAVIO celebrantur; ut qui vasis pulmonum blande laxandis & aperiendis efficiunt, ut lensor ille viscidus suis vinculis facilius exsolvi, & per laxatos vasorum ramiculos motu orbi-co provolvi queat. Deinde quum vapores illi calentes & humidi se in omnes pulmonum vesiculos, quarum vas-tissima est congeries & summa sentiendi facilitas, diffude-

F. *luminosam* rint,

v. 2) van SWIETEN loc. cit. BOERHAAVE ibid.

rint, iisdem utcunque, & quantillum etiam contentis & adductis id laxamenti & habitudinis induunt, ut haud exiguum glutinosae istius pituitae partem, in motum profluum reduci nesciam, tussi emoliantur, maximo aegrotantis commodo. Possunt vero huiusmodi vapores excipendi, & aëre inspirato in pulmones ducendi, ex variis emollientibus parari herbis, velut malvae, parietariae, mercuvialis, althaeae, meliloti, floribus chamaemeli, verbasci, meliloti, semine lini, foenugraeci, aliisque huius fortis, quae aquae incoctae adhiberi possunt.

§. XXXIV.

Neque balnea pedum & crurum nobis sunt obliscedenda, utsopre quae huic calamitati magno levamento & usui sunt. Pedibus enim usu eorum relaxatis velutique flaccidibus, sanguis ex suo ad pulmones itinere & cursu revocatur ad inferiores corporis partes, ubi plus spatii lentae isti pituitae in panniculo adiposo se congregandi & commorandi relinquuntur. Quid? quod quum quoque observationum anatomicarum testimonio & fide sit exploratissimum, arteriis, quae pedibus de sanguine prospiciunt, secundum naturam, constanti naturae lege, semper tres, vel certe binas, spectatae amplitudinis venas haerere comites, sanguini a pulmonibus balneorum usu huc derivato, vel in hisce venis diversandi & morandi satis spatii erit. Pulmonibus ergo hac ratione nimia sanguinis mole & onere, quo ante opprimebantur, quodammodo liberatis, lentae isti pituitae, in pulmonum meatibus cunctanti & obhaerenti, tempus & spatium datur se suis laqueis extricandi & in motum abeundi. Ex quibus igitur, credo, satis liquebit, quantam utilitatem balnea hoc morbo tentatis promittant.

§. XXXV.

§. XXXV.

Tandem quoque larga vesicantia, eodem, quem nunc indicavi, scopo multum contra morbosam hanc afflictionem prodesse possunt, ut quae omnium praecipue cruribus applicata, hisce partibus inflammationem superficialem accendant, atque epidermidem in tumorem quendam attollunt: quo hisce iisdem partibus uberiorem liquidorum vitalium arcessunt affluxum. Sanguine autem iusto & solito copiosius ad pedes ruente, ipsos quoque pulmones abundante illa sanguinis vi & mole, qua aggravati sunt, levari atque exonerari, necesse est. Ergo lenitori isti, vasorum recessibus inhaerescenti, maior copia est se iis explicandi atque evolvendi. Et haec etiam causa est, quare BOERHAAVIVS huiusmodi epispastica hoc in morbo medicando plurimi fecerit &, necessitate exigente, cruribus suaserit imponenda. Ex hisce igitur, iam in medium adductis, satis spectatum cuvis erit, qua via quibusque remediis periculoso huic morbo sit subveniendum. Nihil proinde mihi restat amplius exponendum, quam ut paucis quoque tradam, quo pacto pulmonibus, huius mali saevitia vehementer labefactatis & de suo tono & labore deiectis, si nunc aeger morbo hoc omnino fuerit explicatus, auxilium sit ferendum & amissum robur redintegrandum; ut ultimae etiam supra a nobis iam commemoratae indicationi satisfiat. Verum enim vero quum haec vitalis roboris restitutio & refectione nihil prae aliis, unicuique medentium abunde perspectis & cognitis, habeat praecipuum, non est, quod hoc loco ei persequendae immoremur. Ut igitur aliquando extrellum habeat dissertatio nostra, dicendi faciam

F I N E M.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO
CANDIDATO RESPONDENTI

S. P. D.

IOANNES IOACHIMVS LANGE,

Math. Prof. publ. ord. Acad. Imp. Nat. Cur. & reg. Boruss. Scient. Collega.

Lector ex animo, pro sincero, quo Te complector, amore, ea causa,
quod tandem videam, navigium Tuum, ut homines autumnanus &
dicere solemus, secundis ventis & fluctibus in portum esse delatum.
Decursus vitae Tuae singularia exhibet providentiae divinae docu-
menta, varia permixtantis, connectentis, & ad bonum finem dirigen-
tis. Eadem benignitati divinae res Tuas in futura quoque tempora com-
mendo, illa per plures annos Tuo ministerio multorum hominum mor-
bis succurrat & Te ipsum tandem in eum porrum deducat, ubi sine fu-
ne regnat tranquilla beatitas. Eo felicius autem inter homines res
Tuas Te affuturum praevideo, quo magis individualis eos semper Tibi ad-
futuros scio comites, quos, ex quo Te cognovis & in eodem domicilio
meum coniunctum habui, Tecum semper coniunctissimos fuisse perspe-
xi, humanitatem nempe & insignem alacritatem arque promptitudi-
nem aliis inferiendi. De meo erga Te animo Tibi pollicor, ne nemini
concessurum, qui maiorem ex felicibus Tuis successibus caprurus sit
voluptatem. Vale, nec mei recordationem ex animo Tuo dimitte.
Dabam in Regia Friderictana, Calendis Februarii, Anni MDCCVII.

Wein lieber Sohn, die Welt wird voll Verwunderung sehen,
Dass ein Soldat heut den Doctor-Hut erlangt;
Doch Buch und Säbel kan ja wohl bespannen sieben,
Wenn Tapferkeit zugleich mit Geist und Rüstten prangt.
Ein Julius spricht selbst: dies beides cront den Kaiser,
Und kan denn ein Soldat Galeni Freude nicht seyn?
Auf diesen Grund baut sich die Weisheit Marmor-Häuser,
Da fragt Erfahrungheit die Diamanten ein;
Läßt sich den Stein an Dir durch seinen Geifer rächen!
Der in der wilden See des Glücks Ruder führt,
Kan, wie bis jetzt her, die Unglücks-Wellen brechen,
Dass man in Deiner Eur nur Heil und Segen spürt.

Dieses schreibt und wünscht, Dein getreuer Vater,
Joachim Friederich Beyer.

E R R A T A.

Pag. 10. lin. penult. leg. facile pro facie. P. 11. l. 24. leg. aperientem pro
appertientem. P. 18. l. ult. leg. rivi pro vivi. P. 21. l. 2. leg. ar-
cestat pro accersat. P. 24. l. 24. infervendum est vocabulum: liquor
post vocem omnis. P. 35. l. 25. leg. curatum iuro. P. 36. l. penult.
infervendum est vocabulum ea, post vocem hinc. P. 39. l. 28. adden-
dum ea longiori &c.


Biblio. Med. Fac. Halle.

46.17.37

Halle, Med. Diss., 1757



Retro



IN AVGVRALIS MEDICA
DE
VMONIA NOTHA

QVAM
ICIIIS SVMMI NVMINIS
ET
TOSAE FACVLTATIS MEDICAE
RAE SIDE
ELLENTISSIMO ET EXPERIENTISSIMO

AELIA BVCHNERO

MANI IMPERII NOBILI,
SSIAE REGI A CONSILIIS INTIMIS,
IAE NATVRALIS PROFESS. PVBL. ORDINARIO,
DEM. NATVR. CVRIOSOR. PRAESIDE
MITE PALAT. CAESAREO,

ADV DOCTORIS

ICINA HONORIBVS AC PRIVILEGIIS
IBVS RITE CONSEQVENDIS
EBRVAR. A. S. R. CLOCCCLVII.

EGIA FRIDERICIANA

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

TLIEB FRIDERICVS BEYER
ASCANIENSIS.



EBVRG. LITTERIS HENDELIANIS.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Cyan

Blue

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20